

su fabricēt censores, vt persuadeāt hominū meritū debere adscribi, quod à Dei misericordia prouenit. Eneruari bona opera improbe calumniantur, dum vetatur in illis homo confidere aut gloriari. Nullus enim melior bene viuendi magister quàm Dei Spiritus, qui operibus nostris nihil deberi vbique clamat. Sed vnde hæc subita Magistris nostris bonorum operum cura, quibus cum nihil vnquam commune illis fuit?

Coloss. 2. c. 15.

Artic. 41.

Annotatio, De cibis, festis, & constitutionibus hominū, Bib. 1532. 1534. 1540. 1545.

Censura, Cum diuus Paulus hoc in loco reprehendat solum obseruantes legalia more Iudaico: hæc annotatio generaliter inducta fauet damnantibus ciborum delectum, festa sanctorū in Ecclesia obseruata, & humanas constitutiones.

Legaliane tantum attingit illic Paulus, cum nominatim hominum traditiones designet? Hoc quidem vulgare est illis effugiū, Iudæis dictum esse, quod à se reijciunt: sed quod nullo negotio obstruere licet. Bene tamen est, quòd humanas cōstitutiones esse nunc fatentur, quas hæctenus